

electionis; præsertim ubi de electione agitur, quæ vicem collationis subit; quæque in minoribus beneficiis & Dignitatibus inferioribus locum habere solet: uti nec eadem est consuetudo, circa constitutionem procuratoris, & voti dationem justo occurrente impedimento.

XXV. Unde licet fuerit olim Galliarum consuetudo, ut absentes vocandi essent ad electionem de toto Regno Galliarum, uti supra notavimus, illa tamen consuetudo proterus antiquata est, nec ullibi servatur, adeo ut non vocentur nisi soli qui sunt in civitate vel oppido, in quo Capitulum convocatur; & si secus agendum esset, excideret sæpe Capitulum jure suo, & per ejus moram aperiretur locus aut præventioni Papæ vel Legati.

Ita Cabbasutius in *Juris Canonici theoria & praxi lib. 2. cap. 24. num. 2.* Et consuetudo non vocandi absentes probatur in *Cap. 33. De Præbendis in 6.* ubi dicitur quod "cum in Ecclesiis Canonicorum præbendarum vel beneficiorum collatio est facienda, absentes Canonici sint vocandi; nisi (ait) consuetudo habeat eos ad talia non vocari."

XXVI. Si unus ex Electoribus sive præsentibus; sive absentibus, canonicè & juxta Ecclesiæ consuetudinem vocatus non sit, ejus contemptus non quidem irritam facit electionem, sed contemptus opponendo se electioni eam irritare potest. *Cap. 28. De Elect.*

XXVII. Si autem se non opponat, aut electioni factæ accedat, rata manebit electio: quemadmodum in citato Capitulo deciditur. Cum enim esset quæstio, an duo Electores essent contempti, dicit Pontifex: "Quod si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmata erit electio penitus taliter celebrata: nisi postea propter pacis bonum curaverint consentire."

XXVIII. Imò ut electio firma maneatis, satis est, quod contemptus etiam tacite electioni consentiat: videturque electionem approbare, & ab oppositione sive impugnatione desistere per votum datum extra Capitulum, aut electionem jam factam. Ubi autem se vel consensit, non posse amplius electionem impugnare post alios tradit Alcanius Tamburinus de Jure Abbatum *tom. 1. Disp. 5. Quæst. 3.*

XXIX. Rectè tamen advertit ibidem *num. 13.* quod hujusmodi vota data per contemptos extra Capitulum tantum proficiunt, ne electio, aliàs valida irritetur; tamen non augeant numerum eligentium, adeoque si cui in Electione unum votum defuisset ad Canoniceam electionem, votum contempti ita extra Capitulum post factam electionem datum prodesse non potest.

Rationem subdit Tamburinus *num. 14.* "Quod generaliter in omnibus explicandis per Capitulum, & Universitatem collegialiter, & simul in unum consensus, vel dissensus præstari debet, & actus expediri."

XXX. Quin & quæstio *6. num. 4.* ait, quod sit de substantia ipsius canonicæ electionis, ut fiat in communi Congregatione, ubi præsentibus ad sint omnes electores; quia non valet, nisi sit communiter celebrata, ut habetur in *Cap. in GENESI, eodem tit.* tunc autem dicitur communiter celebrari; cum in uno loco omnes electores ad suffragia ferenda congregantur: singulariter autem fieri intelligeretur, quando singuli in suis Monasteriis manentes suffragia mitterent. Ratio hujus est, nam ea, quæ fiunt ab aliqua Universitate nomine universitatis, debent fieri per congregationem Collegium, & ibi fiat conclusio de actus explanatione.

XXXI. Quamvis autem unus solus non vocatus sive contemptus possit electionem, etiam unanimi omnium aliorum consensu factam, irritare; unius tamen

imò nec plurium præsentium contradictio ordinariè impedire nequit electionem à majore parte eligentium factam; atque ita verificatur illud Pontificis in *Cap. 36. De Elect.* quod "plus in talibus consueverit concurrere, temptus unius obesse, quàm multorum contradictio in præsentibus."

Sicut enim in aliis actibus Capitularibus, ita & in electione solet à pluralitate suffragiorum concludi: ita ut is electus censetur in quem major pars Eligentium consenserit.

XXXII. Hoc autem intelligendum, nisi aliter in fundatione vel speciali statuto cautum sit; quæ aliquando duas tertias partes totius Capituli, aut majorem partem omnium de Capitulo existentium requirunt; ita ut non sit censendus electus qui plura suffragia habet respectu aliorum in quos vota conspirant, sed requiratur, ut habeatur major pars totius Capituli. Si ergo sint duodecim Canonici, & quatuor eligant Petrum, tres Joannem, & quinque Paulum; licet Paulus in hac electione habeat plura suffragia, non tamen haberetur pro electo; si requiratur major pars totius Capituli: cum revera majorem partem non habeat. Si autem tantum exigeretur pluralitas suffragiorum, tunc censeretur electus.

XXXIII. Concilium Lateranense in *Cap. 42. De Elect.* vult ut is scrutinio publicato censetur electus, "in quem omnes vel major & sanior pars Capituli consentit." Hinc communiter concludunt Canonistæ, quod de jure communi non tantum major pars Capituli, sed & sanior requiratur; adeoque non tantum numerari, sed & ponderari vota debeant; interdumque minor pars ob meritum & zelum eligentium præponderare majori parti debeat.

Verum apparet ex intentione Concilii, partem majorem semper præsumi debere etiam saniorē; nisi ostendatur quod contra sacrorum Canonum præscripta elegerit. Exempli gratia, si major pars esset interdicta vel suspensa; aut elegisset personam secundum iura incapabilem; & ita intellexit videtur Glossographus ad *Cap. 6. De His que fiunt à Præbato &c.* verbo *sanioris* ubi interrogans: "Sed nonne eo ipso major est quod est sanior?" Respondet: "Dic quod ubi aliqua pars non est sana, puta quia indignum eligit, vel quia in damnum Ecclesiæ aliquid facit, ibi dico majorem partem illam quæ sanior est, & præferenda est; alias nisi utraque pars in electionibus esset sana, non statim dicerem majorem saniorē rem, imò quandoque majorem esse præferendam."

XXXIV. "Et utique si aliter res esset, injiceretur inter vocales pomum discordiæ amaricantis zeli, mutuarum accusationum & contumeliarum, & implacabilis odii fomenta, si merita vel demerita essent exploranda & invicem computanda vocalium; uti rectè advertit Cabbasutius in *Juris Canonici theoria & praxi lib. 2. cap. 24. num. 14.*

Quare hodie in omni electione obtinet, quod jam pridem in electione Monialium præcipit observari Pontifex in *cap. 34. De Elect. in 6.* "ut non zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, sed solum numeri ad numerum fiat collatio."

XXXV. Quin interdum, ad evitandas contentiones & dissensiones in electionibus Capitularibus occurrentes, consuetudine, vel ex speciali statuto receptum est, ut Præbendæ aliæ inferiora Beneficia ad electionem, vel collationem Capituli spectantia, per Hebdomadarium sive Turnarium, ut vocant, conferantur; seu quodis in ejus hebdomada beneficium vacare contingit, unum præsentet Capitulo cui tamquam à toto Capitulo electo Beneficium conferatur: cuius statuti meminit Pontifex in *cap. fin. De Præbendis in 6.* notatque Glossa ibidem verbo *statuto*, quod "tales consuetudines & statuta sunt in multis Ecclesiis Gallicanis."

Hunc

Hunc quoque modum eligendi Canonicos in Ecclesia Cathedrali Antverpiensi, cuius statuta à Sede Apostolica probata sunt, à 300. annis servari testatur Zypæus *tit. De Elect. num. 14.* eumque modum in electione Ecclesiæ Darentiensis à Sede eadem procurante Rege probatum esse.

XXXVI. Si tamen in ipsa fundatione cautum esset, ut ad Dignitates & Præbendas electio fieret capitulariter, formam electionis privatam suam auctoritate ut Canonici immutarent, atque desertam electionem Capitulari ad Hebdomadarium vel Turnarium transferrent, haud facile permitteretur, refertque Renatus Choppinus, Statutum Capituli Claromontani, quo electionem Canonicorum solitam fieri per communem Capituli electionem transulerant ad Turnarios, appellante tamquam ab abusu Procuratore Regio à Senatu Parisiensi fuisse callatum. *lib. 1. De sacra Polit. tit. 1. n. 3. 4. 5. & 6.*

CAPUT IV.

De Triplici Forma Electionis à Concilio Lateranensi descripta.

- 1. Triplex forma à Concilio Lateranensi prescripta; & quare.
2. In quibus electionibus servanda?
3. Forma electionis per compromissum.
4. Compromissarii servare debent formam compromissum.
5. Quot & quales esse debeant Compromissarii jure non est definitum; & unus etiam extraneus sufficit.
6. In compromissum consentire debent omnes jus eligendi habentes.
7. Electio per inspirationem quasi divina: e jusque forma.
8. Electiones olim hac formâ factæ; hodie pene ignotæ.
9. Electiones qua hodie tales vulgo dicuntur, non sunt ille de quibus loquitur Concilium.
10. Electio per scrutinium.
11. Assumendi scrutatores: & unde sic dicitur?
12. Assumi debent tres scrutatores.
13. Eligendi sunt ex ipsis Electoribus.
14. Debent vota secretè exquirere.
15. Duplex modus dandi suffragia in electione per scrutinium.
16. Vota singillatim exquirenda.
17. Omnium Eligentium vota exquiri debent.
18. Suffragia dari debent absolute.
19. Vota non data absolute rejicienda uti charta alba.
20. Suffragia in scriptis redigenda.
21. Suffragiorum publicatio quomodo faciendâ.
22. Collatio suffragiorum ante faciendâ.
23. An in computandis suffragiis attendenda pars sanior & major zelus.
24. Publicato scrutinio faciendâ electio illius in quem major pars consensit.
25. Rarior hujus in partibus hujus electionis usus; frequentior in Germania, & quare.

Triplicem formam electionis proponit à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in *Cap. QUIA PROPTER De Electione*, nimirum per compromissum, per inspirationem quasi divinam, & per scrutinium, additque electionem, aliter factam non valere; & qui contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi eâ vice potestate priventur.

Has formas in electionibus servandas præscripsit concilium, "propter diversas (ait) electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatæ."

II. Hic singulariter notant Doctores præunte Glossographo: hæc verba, *Ecclesiis VIDUATIS*, cum sint posita in proœmio constitutions, designant (inquiunt) causam finalem, & regulant totam dispositionem; ita post alios Fagnanus ad hoc *Cap. m. 5.* atque inde insert. *n. 6.* quod dispositio hujus Capituli locum non habeat, nisi in electione illorum Prælatorum per quorum obitum Ecclesiæ manent viduatæ & sine Pastore; prout latius capite præcedenti expositum fuit.

III. Per compromissum dicitur fieri electio, quando eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium provideant Ecclesiæ viduatæ de Pastore, re. Uti loquitur Concilium Lateranense.

IV. Hi commissarii, cum sint quasi mandatarii sive procuratores ipsius capituli seu congregationis in negotio electionis, limites commissionis seu mandati excedere non possunt: tenenturque formam compromissi exactè servare. *Cap. 32. De Elect.*

Unde sicuti omni electioni hoc à jure inest, ut eligatur dignus, ita quoque omni compromisso hæc conditio tacite inesse censetur, ut compromissarii teneantur dignum eligere; & si secus elegerint, mandati fines censentur excessisse; neque eatenus mandantes seu committentes factum eorum probare debent, neque ipsis imputandam venit; quemadmodum deciditur in *Cap. 37. De Elect. in 6.*

V. Quot debeant esse compromissarii, aut quas habere debeant qualitates, in Jure determinatum non est; imò & in unum compromitti posse, ostendit casus relatus in *Cap. 8. De Elect.* Nec tantum in unum aut plures de capitulo; sed & in extraneos compromitti posse constat. *Cap. 8. & 21. De Elect.*

VI. Tametsi in negotiis & actibus capitularibus sufficere soleat consensus majoris partis; tamen in compromittendo omnium consensus exigitur, adeo ut vel unus dissensus compromissum impediat: nam per compromissum ipsi eligentes quodammodo jure eligendi, saltem pro hac vice, privantur; quod sine singulorum consensu fieri nequit: præsertim quia hæc eligendi forma tantum est subsidiaria & pendens ab eligentium voluntate. Vide Glossam ad *Cap. 42. De Elect.* verbo *vice omnium.* Cum autem raro contingat, quod omnes velint suo suffragio privari, & unanimiter in compromissarios consentiant, rarissima quoque est hæc electionis forma; atque hic in Belgio vix nota.

VII. Altera forma electionis exprimitur in Decreto Concilii Lateranensis his verbis: *Nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem* (additur in quodam codice *Spiritus Sancti*) absque vitio celebrata.

Quamvis enim moris sit & in Jure expressum, ut in omni electione nimirum proprie dictâ, & ibi de Beneficiis verè electivis, quibus Ecclesiæ viduatæ de Pastore providetur, Spiritus Sancti gratia invocetur *Cap. 14. & 18. De Elect.* nominatimque cautum sit in Concilio Basilienfi *Sess. 12.* præmittendam esse Missam de Spiritu Sancto, specialiter tamen dicitur illa electio fieri per inspirationem Spiritus Sancti, quæ communis suffragio, & ab omnibus concorditer quasi divino Spiritu afflatis, nullo discrepante, aliquis eligitur; idque nullo prævio tractatu, ex quo præsumi possit aliqua persuasio, vel suggestio in gratiam eligendi intercessisse; ipsosque eligentes permotos fuisse potius humanis aliquibus persuasionibus aut considerationibus, quàm Spiritus Sancti inspiratione.

VIII. Hujusmodi electiones fuisse referuntur, S. Ambrosii, S. Nicolai & S. Severi Episcopi Colonienfis, uti D d d 4 hic

